

www.e-rara.ch

Diodori Siculi bibliothecae historicae quae supersunt

Diodorus

Lipsiae, [17--]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 8145

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-33647>

Epistolae Diodori Siculi ex italica Octavii Archangeli versione latine redditae interprete
Abahamo Preigero.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EPISTOLAE
DIODORI SICULI

EX ITALICA OCTAVII ARCHANGELI
VERSIONE LATINE REDDITAE

INTERPRETE

ABRAHAMO PREIGERO.

CATANENSES SYRACUSANIS.

Epist. XIX Libri primi.

Ep. I.

VICISTIS, ac spoliastis credulos agricolas nostros, persuadendo eos oratorum more, diripuistis frumentum sacerdotum Cereris, confregistis obeliscum nostrum Chalcidicum, ut et inscriptionis nostrae, ad flumen Symaethum, terminum, ex pacto nobis concessum, armisque vestris oppositum, ruptis legibus pacis, quam a nobis redemeratis, quo melius bellum iterum facere possetis. Nos in portu Megarensi duas

naves vestras, eadem illa onustas praeda, cepimus, et Nobiles vestros armatos proelio vicimus. Navium altera, quae nobis sese deditit, mox autem exarmata figam arripuit, et a nostra clementia ad vos sese recepit, una in captivitatem avexit nostrorum hominum ligones ac vomeres, in testimonium fugae suae, nostraeque fiducia. Sint sane hi vobis Rhetorices vestrae atque rapinae tropaeum: arma vestra nobis victoriae nostrae erunt. Quod Megarenses vestri in fidem nostram concessere, id armis nostris effectum est; nova autem ipsius urbis deditio nobis facta, voluntaria fuit, non pacto ullo, aut earundem frugum pretio, ut per literas nobis exprobratis, a nobis emta, cupientibus istius urbis civibus a iugo tyrannidis vestrae liberari, inque nostrae libertatis societatem sub nostra protectione recipi. Quare si pacis estis conservatores, aliis eam nolite eripere, quin vestro potius vivite contenti, neque in hominem liberum natum ullum, dominium vobis quaerite, ne tutrices Nemeaeos nostrae vires provocantes, ultrices Deae iras in armis nostris experiamini.

SENATUS CATANENSIIUM CHRYSOSTRATO,
REI MILITARIS PRINCIPI.

Epist. XX Libri primi.

II. In homine, quantumvis honesto ac probo, semper aliqua reperitur imperfectio. Bello te strenuum aliisque virtutibus praeditum novimus, sed valde haec omnia obscurantur ab avaritia tua, ad quam plus semel iam certis de causis connivere placuit: nam iudicem te ipsum constituens priorum meritorum, ac nostra benevolentia nimium confusus, non solum non participes, secundum cuiusque merita, totius praedae, ut tibi scripsimus, fecisti proelii socios, ac pedites, quos regimini tuo commisimus, sed tibi eam, vel, uti rem excusas, reipublicae reservasti. Laboribus

tuis pretium non pro tuo, sed nostro lubitu statuas; neque ab iis indebito modo exigas, quorum nos debitorum multis nominibus fatemur. Iustum est, ut ei, qui proprium sanguinem, corpus, aut vitam exposuerit, aut impenderit, sperata persolvatur merces, si non de nostro, saltem de spoliis, quae nactus fuerit, deque honore. Turpissimum quaestus genus est, aliorum labores lucri facere, aut diripere. Dii prohibeant, ne unquam aerarium nostrum divitiae tam infames intrent, cum amicorum discordia. Distribue igitur inter illos omne illud argentum et aurum, omnemque illam praedam, quam tibi, vel, uti dicis, reipublicae reservandam arbitrabare: vere enim miser est, qui cum nummis sit ditissimus, amicorum, virtutum, et consilii inopia summa laborat; et ille tutissimus est thesaurus, qui bene donatur, beneque impenditur.

PSYLLAS SENATUI CATANAEO.

Epist. XI Libri primi.

III. Siciliae civitates, dum imperare singulas cupiunt, imperium omnes perdent; praecipites enim altera in alterius exitium ruentes, victae omnes interibunt. Tutissima, immo felix illa deum est, quae alteri, cum possit, vim non faciat, neque, cum norit insidiari, insidietur tamen, neque cum habeat penes se aliena bona, ea usurpet, proprias vero res propriis viribus tueatur. Iacet Heraclea inde, quod alias destruxit civitates, dumque alienis divitiis potitur, saepius in captivitatem adducta, et ad inopiam redacta est. Sic in alias civitates tyrannidem exercens urbs Syracusana perpetuam ipsa tyrannidem subiit. Hos in felices casus, ceu speculum inspicientes, o Catanaei, non dico prudenter, sed beate fortasse poteritis vivere. Probe scio, pacem vobis caram esse, qui diuturnorum iam dudum bellorum taedio laboratis. Ego hic obsecres a vobis sum, non tamen orator ad vos esse volui:

nam pacis potius vestram, quam hostium nostrorum belli victoriam esse cupio. Nunquam in animum meum inducam, ut libertatem, nomenve Catanaeum calamo meo commaculem, neque adeo auctor vobis ullo modo ero, ut contrahatis, nedum aliis cedatis autem vestram ditionem Transymaethicam, licet hostes horrendum in modum, ut hoc faciam, apud me instent, sive quod territi sunt classe Atheniensi, in auxilium nostrum vocata, sive quod tam anxio producendi imperii desiderio laborant. Hesternae die nunquam, ut ad vos hoc scriberet, adduci potuit manus mea dextra, amputata quidem ea de causa ab ipsis, sed non victa: neque hodie, neque unquam id a se inpetrabit sinistra, quae pariter invicta, eidem securi Syracusanae subici haud metuit, cum et ipsum intrepidum hoc caput, subeundis pro patria tormentis inexpugnabile prorsus, recipiendis istis ictibus paratum sit. Certi estote, tam irrevocabilem esse fidem meam, quam vulnus sit.

CATANENSES MEGARENSIBUS ET ENNENSIBUS.

Epist. XL Libri primi.

IV. Cum Zancлаei, Tauromenitani, Centuripini, et Hadranitae miserint nobis decem talenta, et arma, et pedites, et equites, et commeatum ad res bellicas, nullo nomine ad haec obstricti; quid non a vobis sperandum est, qui manu propria saepius frontes nostras condecorastis coronis obsidionalibus, a solo vestro decerpitis?

SENATUS CATANENSIS CHARMOPYLO.

Epist. LXX Libri primi.

V. Saepius per Decuriones nostros, et per litteras nostras monitus es, ut tibi caveres a conversatione atque insidiis navium, non minus Atheniensium,

quam Syracusanarum, quae rebus nostris inhiantes, quotidie cum mercibus suis frequentant portum Ongiam, et Saturniam Acidis, quam custodiae tuae una cum omnibus publicis redditibus, qui ibi in manus tuas pervenere, commisimus, atque credidimus: sed tu aut dormis oculis apertis, aut vigilas oculis clausis. Potestne autem non expergisci quispiam, qui non dormiat? Trade ergo claves arcis atque aerarii in manus Harmenidis, et veni in iudicium.

CATANENSES CURIONI TETRARCHAE.

Epist. LXXII Libri primi.

VI. Virtutum potissimum thesauro securitas publica consistit. Nostra haec consuetudo haud est, ut accumulemus opes, ut provide nos doces, unde militibus, ingruente necessitate, stipendia suppeditemus; sed auro eos, atque argento captivo remuneramur, aut vulnere, victoriarum, praedae, spoliis hostilium, et honoris coronarum participes facimus. Haec omnium gloriosissima merces est, quam militibus atque sociis nostris distribuere solemus. Vale.

SENATUS CATANENSIIUM ISTRIADAE, DUCI LEONTINORUM.

Epist. XC Libri primi.

VII. Moti precibus tuis potentibus, et amicitia veteri, imprimis autem virtutibus tuis, clementiae ac gratiae instrumentis, vitam una cum libertate donavimus Lupulo, nepoti tuo, cuius ex ore canes nostri Catanenses nobilissimam illam praedam eripuerunt virginum Assorinarum, quae templum Cereris petebant, cui ab infantia sacratae fuerant. Et quoniam tui, ob venerandam senectutem, eius autem ob iuvenilem aetatem, ad vitia proclivem, nos etiam miseret, restitue illum matri suae, quae ante meritum mortis supplicium iam miseras ipsi facit exsequias. Si eum in

animi, ac fortunae bona atque divitias successorem tibi optas, exhortare eum, ut bene vivat, teque viventem, et patrem suum Leonicum, virum probum, filium, naturam tuam, moribus atque adoptione nostrum, pro libertate communis patriae nostrae mortuum, licet in perpetua apud nos ac viva recordatione superstitem, imitetur, ac probesciat, egregias illas avi atque parentis virtutes, contra solitum legum nostrarum rigorem, nos cogere esse clementes. Hasce ipsi literas praelegas volumus. Quod si compererimus tamen, lupum mutare pilum, non omittere vitium, supplicii ipsum refrenet terror, et si inemendabilem videris, contemtoremque sui ipsius, tui, nostri, Deorum denique, statim tibi eius pellem mittemus.

CATANAEI HIERONI.

Epist. XCI Libri primi.

VIII. Mittimus tibi Arrium Chlorionem, et M. Protionem, ad defendendam innocentiam inculpatorum istorum iuvenum Catanensium, qui a sorore tua necis Berylli, nepotis tui, accusantur. Aurem praebe iustae defensionis, et fidem habe veritati verborum nostrorum, quae ex horum ore percipies, avunculum exutus, ac iudicem indutus, ne quid apud te calumpniae valeant, quae lacrimis tibi femininis propinquantur; belli saltem occasionem quaerere noli, habendo nos omnes homicidii reos, et pacis ruptores, sicut facis, quoties ais epibatas Catanacos, in Naumachiae certaminibus, nepotem tuum factiose occidisse, cum tamen haec caedes praeter voluntatem perpetrata fuerit. Animus homicidium, non manus invita facit. Fas autem non est, in senatu iustissimo, caruificem fieri, tibi ve mactandos concedere innocentem, quos petis. Quamobrem ut homines te praecamur, ut amici te hortamur, ut indices tibi dicimus, noli dissentire a iudicio nostro, et acquiesce sententiae Proagororum nostrorum, tam-

que incorrupti senatus. Sin innocentia tibi forte supplicio, veritas contentione digna videtur, et ut a paucis iniquam sumas vindictam, omnibus nobis bellum intentas, fac quod lubet. Et si impatientia tua non sustinet audire defensionem linguae inermis, sentiet forsan armatas in manibus nostris rationes, quibus tanquam iustitiae propugnatricibus Dii invictis esse concedent.

CATANENSES PHALARIDI TYRANNO AGRIGENTINORUM.

Epist. CXII Libri tertii.

IX. Cum non statuerimus, neque etiam satis expendere possimus, maiorine misericordia et clementia senectus tua, et valetudo gravissima ac diuturna, an supplicio indigeat insanabilis ille morbus linguae tuae pestiferae, ceterorumque vitiorum tuorum, armis te nostris adoriri, et in perpetuum tibi occludere maledicum illud os tuum supersedimus. Ut autem damnum, quod ab immissis a te incensoribus segretum nostrarum, occisoribus gregum innocentium, accepimus, ex parte vindicaremus, una cum Leontinis, hostibus tuis, iam terram tuam depopulati sumus, magna tamen usi continentia, et clementia, exercitum quoque tuum equitum peditumque nostrorum non viribus tantum, sed et terrore fudimus, et in fugam coniecimus, clementes non minus, quam faciles ac misericordes, nos exhibentes usque ad ipsum proelii ardorem, amissis nostrorum paucis, occisis autem mille tuorum una cum duobus tuis nepotibus infelicibus, crudelitatis tuae ducibus, stultitiae tuae exsecutoribus. Te vero, utriusque infortunii auctorem, ut humanum sanguinem sitientem, per Pentaurum tuum a secretis, cui vitam ac libertatem, quam nihili aestimas, largiti sumus, ea conditione, ut tibi vas, isto sanguine plenum, reportet, huius nostrae victoriae certiorem faci-

mus. Eum itaque bibe, et infelicissimam hanc vitam vive cum illo supplicio, cumque crudelibus illis mortis generibus, quae singulis horis tibi infert natura vindex, et invidia feliciū nostrorum successuum: omni modo enim ab inquinandis vindicta tua manibus nostris cavebimus, turpemque illam victoriam fugiemus, quam tua nobis miseria afferret.

CATANENSES STESICHO HIMERENSI.

X. Veni; quandoquidem in civitatis nostrae iura te iam recepimus, sicuti carminibus pariter et epistolis a nobis petis, positoque omni metu sub nostra protectione nobiscum frui illa libertate et tranquillitate, quam Musae tuae desiderant, et accipe, quae tibi in subsidium vitae, ac filiabus tuis in dotem, liberali manu assignat senatus populusque Catanensis, soli aliquot iugera, Epigrammatum tuorum silva celebrata, eaque, si non ut dona meritis tuis ingentibus digna, saltem ut primos honoris ac benevolentiae fructus. Quippe certi sumus, quaecunque non fecerimus nos, facile ea suppletum iri amplissimis illis corporis atque animi dotibus, quibus vel universas orbis terrarum divitias superant. Duas filias tuas, vel nostras potius, quas reditus tui veluti obsides nobis reliqueras, nuptum dedimus, alteram Clarioni, alteram Tetrachio, sororis tuae filiis. Publice itaque lauda, quae secreto tibi placent: facile enim iam perspicis, quam ampla hi iuvenes hereditate a parente suo, Patricio nostro, quamque egregiis moribus atque scientiis locupletati sint, amplexi quam cupidissime, non senatus tantum gratiam illam, ut et ipsas inprimis sponsas, verum et mediocrem harum conditionem, quippe quibus summae dotis instar arridet, quod sint Stesichori filiae. Haec omnia tamen invita tua sorore transacta sunt, quae maiorem natu desponderat Ctesiandro, Agonothetae nostro, qui forma ac moribus puellae captus, in curia

eam sibi uxorem dari petebat, sed repulsam a nobis tulit, non quod isto connubio non esset dignus, sed quod aerario nostro aliquot sestertium millia deberet. Recipe itaque generos atque nepotes tuos, et admitte iustam hanc electionem, una cum fructibus tam egregiae plantae, qui inde ad te redeunt, cumque iis ad nos Catanam revertere, spectaturus Hymenaeos, et spectacula, quae adeo desideras.

CATANAEI AGRIGENTINIS.

XI. Liberos vobis remittimus obsides, cum uni-remi nostra, quae vobis in donum cedat; octodecim quoque talentorum debitum vobis remittimus, quod senatui populoque Catanensi ex pacto solvere tenebimini pro impensis ac damnis, quae bello fecimus, moti non solum Leontinorum, ac Messanensium precibus, sed et ipsa quodammodo statua Proserpinae, quam templo nostro Lunae donastis, nec non vasis aureis, et gemmis, quae Ditis, divitiarum Dei, coniugem satis arguunt, ceterum prosperis nunquam successibus superbientes, sed in amicitiam quoscunque recipere soliti, qui eam apud nos ambiunt. Neque mors Phalaridis, qui et vivus et mortuus vobis nocuit, multisque vos calamitatibus affecit, alios nos fecit, quam fuimus ante. Gaudemus prudentiores vos esse factos: nam homines, qui errorum suorum, adeoque offensarum, quas ita proximis praebuerint, poenitentia ducuntur, tantum non pro innocentibus habendi sunt.

CATANENSES ZANCLAEIS ET RHEGINIS, AMICIS FIDELIBUS.

Epist. XIX Libri quarti.

XII. Non usurarum, neque mercium beneficio divites facti sumus, sed fructuum, quos omnium nostrum universalis parens Terra procreat, ac Ceres lar-

gitur, quippe quibus indefesso quotannis studio labores nostros credimus, porro etiam spoliolum hostilium, quæ terra marique potiti sumus; denique continui exercitii, quod ut otii inimicos implicitos nos tenet. Nos illas non reputamus divitias, quas fortuna donare et auferre potest; eaque infima laus est, quam nobis tribuere potestis, ubi illud in nobis laudatis, quod sub aliena potestate est. Isti demum stabilissimi sunt thesauri, qui in animi bonis consistunt, quosque non minus, quam istos, maiori ex parte adversus hostes consumimus, sed ita, ut certo quodam modo nobis atque amicis nostris supersint; et hi invicti atque inexhausti manent, neque fortunæ subiacent. Immo iniuriam nobis facitis, qui istam nobis laudem tam liberali calamo adspargitis, quasi vero non alia vobis suppetisset laudandi materia, qua benevolos vobis redderetis Catanenses amicos. Quamquam nobis propriarum laudum contemtoribus gratius acceptiusque fuisset silentium vestrum: vera enim laus non solis verbis, sed operibus consistit. Habeant igitur nudæ ieiunæque Musæ poematum vestrorum in præsentia singulæ vestem, cum sextario frumenti, quæ munera hæc comitabuntur literas, non in animi grati, sed liberalitatis nostræ signum. Si autem post hæc stilo historico vultis scribere, naves mittite, et frumenti modiorum millia sexaginta vobis commodabimus, quæ a nobis tum ut amici, tum ut homines, petitis, licet nobis nondum reddideritis, aut solveritis altera illa, quæ ob temporis longinquitatem oblivione iam dudum apud nos oblitterata esse tanquam homines ingrati putatis. Sed probe persuasi sumus, actionem debiti inter bonos neque temporis diuturnitate, neque alia quapiam causa unquam inveterascere, aut obduci.

CATANENSES MESSANENSIBUS ET TAUR-
MENITANIS.*Epist. XX Libri quarti.*

XIII. Reddite, quae vobis commodavimus, tanta tredecim, vel dimidiam saltem partem: reliqua quinque vobis non concessimus spe recipiendi ullo modo, quando quidem donum vocari nequit, quod petitur. Sed si tanta annonae caritate laboratis, non solum non exacturi sumus debitum, sed et participes vos frumenti nostri faciemus, quoniam hoc amicitiae vestrae merita postulant, in remunerationem laborum, ac damnorum, quae nostri amore a Phalaride accepistis in navibus nostris; et certi estote, promissis nos dona coniungere solere, neque pati, ut haec ab illis unquam vincantur, in amicitia.

SENATUS CATANAEUS ANDROPATRO
POLIARCHO.

XIV. Vicinus te primo ratione, (licet invicta maneret pertinacia tua,) deinde armis: reliquum iam nihil est, nisi ut, nos ipsos vincentes, te vincamus clementia, et misericordia nostra gravitatem etiam delictorum tuorum praeponderet. Quoniam autem Charyllius morum tuorum emendationem tuo nomine promisit, suamque pro tua fidem iureiurando interposuit, veniam tibi concessimus, ab exsilio te revocavimus, poenam, et sex talentorum debitum tibi remisimus, inque castellorum tuorum, reliquarumque facultatum possessionem te restituimus. Redi igitur, deposito cadavere, quod longo te tempore sepultum habuit, novum veluti hominem indutus, ad castissimam tuam, praeque ceteris feminis omnibus pulcherrimam Petroniam, divitiarum tibi ac salutis causam et effectricem, quae a te ingratisimo marito fastidita est, prae amore libertae, sterilis atque effoetae meretricis

apud Hadranitas, pecoris tui lupae, opum tuarum dissipatrici, ministrae denique exilii tui, atque infinitas gratias referre memento simplicibus illis lacrimis, quibus a clemente senatu tibi vitam recuperavit uxor tua, ac pro te, cum debitum, tum poenam persolvit.]

CATANAEI DIONYSIO.

XV. Non minor victoriae spes, quam pacis nos tenet desiderium, quam toties turbasti. Quod si autem fortunae, in cuius manu sunt regna, et respublicae, et victoriae, seu casu, seu vi, a te vincimur, hoc probro nobis non erit, quia tu prae reliquis omnibus tota Sicilia opulentissimus es, ac potentissimus. Verum si in res humanas fortuna dominetur, cogita, non minus virtutem pollere, modo virtus sit, quae ab illa vinci non potest. . . . Ceterum non stamus armati in damnum tuum, sed ad conservandos Penates, patriam, ac libertatem avitam, nobis hereditariam factam. Si tu arma sumis in vindictam ac stragem contra illos, qui quod suum est iusto tutari praesidio laborant, quid illis facies, o rex, qui quod tuum est, (dummodo tuum) pacem ac salutem usurpatorie invadunt?

DIONYSIUS TYRANNUS SYRACUSANORUM
CATANAEIS.

XVI. Dum vestra vos nimis abuti antiqua libertate patimur, dissimulantes saepius culpas vestras, ex nostra clementia nata est arrogantia vestra, atque eo iterum audaciae processistis, ut nominis nostri socios atque amicos non modo, verum et nostros ipsos, incursionibus, insultibus, praedationibus, aliisque iniuriis haud paucis, infestare non dubitaveritis, et, excitantes iras nostras sopitas, experiri cupiatis, quid arma nostra valeant. Restituite igitur confestim nobis per

hunc tabellarium trecentos equos captos, eorumque armaturam, nostrorumque necem supplicio luite eorum, a quibus perpetrata est, quos iusta sententia ad mortem damnavimus, nisi eam per gladios nostros gustare universi velitis.

CATANAEI DIONYSIO.

XVII. Clara tibi res esse deberet, si philosophus esses, eum, qui rationi serviat, libertate non posse abuti. Nos omni servili timore vacui, legibus voluntatis nostrae subiecti sumus, et a natura docti, voluntaria servitute rationi obedire, quae animi affectuum nobis moderatrix est, idque nullo mortalium cogente; hac una re liberi sumus, quod neque te iudicem, neque alios, praeterquam nos nobismet ipsis superiores agnoscamus; et ut tales, qui nos ipsos cognoscere, superare ac regere novimus, alios quoque non minus vincere et castigare, quam venia prosequi, ac regere solemus. Quodcunque bonum, in aliis rigor legum armatarum, ac metus, id ipsum in nobis ratio, pudor, et natura operantur. Cumque iudicem et actorem in causa magis tua, quam tuorum, agas; cognosce, quaesumus, nostrorum illam, qui ter ad pugnam a tuorum avaritia provocati sunt: incidentes enim in turmam equitum tuorum, cum per vim (licet incassum) extra omnem belli praetextum, nulla eorum ope aut societate in proeliis usi, sollicitarentur ab illis, ut praedae sese participes facerent, quam de Barbarorum spoliis captivis, armata manu, non sine nostrorum sanguine victores consecuti fuerant, atque ut erant defessi ac vulnerati, sed invicti, novo hoc proelii genere impeterentur, ab effrenata ista insolentia alteram victoriam, spolia praeclariora, duplicesque coronas reportarunt. Qui panem Balearicum esurit, fundam eum petat, sicuti fecere nostri, non autem rapiat labores nostros, eorumque honorem ac gloriam, quippe

quae cuncta in hastarum mucronibus gladiatorumque aciebus portamus. Ad minas tuas respondere nihil attinet, quae pueros terrent, non homines, eosque viros. Audivimus modo, idque ex te ipso, nondum sensimus armorum tuorum potentiam: nos te expectamus; tu autem certus sis, ubi apud te nihil inveniunt iustae excusationes, ac rationes, iustitiae tandem ministros gladios nostros amputaturos omnem calumniam.

CATANAEI LEONTINIS, ET MEGARENSIBUS.

Epist. I Libri secundi.

XVIII. Promissa, quae saepius nobis tempore pacis dedistis, quaeque ut amici nominis nostri, ac vi societatis nostrae, nobis etiam debetis, nunc, ut certo quidem nobis persuademus, praestabitis, cum omnibus Syracusanorum, eorumque foederatorum copiis obsideamur, et Atheniensium expectemus. Dii immortales, qui animos nobis invictos dedere, arma quoque suppeditabunt, quibus hostem vincere, eive resistere saltem possimus, et vires, quas in vestra experti estis defensione. Reddite nobis dimidium saltem istius commeatus, quem defensor vester, quem vobis misimus, vestri causa absumsit, ac mittite nobis illos pedites et equites, quos ab hostibus vestris, atque adeo a morte, nostrorum sanguine, copiarumque nostrarum terrore liberavimus. Quoniam vero Terias amnis, ac viae publicae pluviis valde difficiles factae sunt, mittimus vobis Nardinam et Adramedontem Centuriones, cum duabus navibus onerariis, et duabus quinquereimis, iisdem illis, quae vobis milites nostros saepius in auxilium transvexere.

CATANENSES DIONYSIO.

Epist. IV Libri secundi.

XIX. Iterum ecce, cum per literas, tam per nuntios, dicendi licentia nimium quantum insolentes, et bella et caedes, et ignem, aliaque id genus mala nobis denuntias. Nos, quod toties iam nostris interminatus es, tuis haud semel iam fecimus, vel lacessendi gratia, ut semel potius vindex tandem fieres, quam millies minator.

CATANENSES DIONYSIO.

Epist. XIII Libri secundi.

XX. Nunc sane, postquam, amisso imperio Syracusano, securius atque tranquillius imperio in te ipsum frui potes; nunc, inquam, tam vere tui dominus es, quam non es aliorum tyrannus. Recuperasti libertatem, quam in captivitatem tibi eripuerat ac retinebat tyrannis tua: nunc merito regem te possumus dicere, quod tui ipsius rex es; ac tuus iste animus, quem totus terrarum orbis non adimplebat, nunc circa solum microcosmum tuum versatur. Non opus est igitur, ut consolemur eum, qui salutem pariter, ac libertatem, quin et dominationem a se ipso recuperavit. Enimvero gaudemus, quod ereptis tibi fortuna bonis, quae sibi eripueras prius, restituerit tibi animi ea, quae longo tempore, neglexeras, ac tantum non plane amiseras.

SENATUS CATANENSIS PHILLATRADI.

Epist. XXVII Libri secundi.

XXI. Nocte dieque, temerarie ac prodige tu, interque quotidianas rapinas semper egene, oppida di-

tionis nostrae ad res novas excitare, dormientes hostes nostros expergefacerere, ac nummos coacervare labores, quos a iam notis, ac viribus nostris despectui habitis, inutiliter prorsus ac turpiter mendicas, ac conscribendos milites adversus clementem illam civitatem, cui triplici nomine vitam ac libertatem debes, ter veniam ab ea consecutus, et ab inimicis tuis defensus, ter quoque in principatum patris tui Transhadranium restitutus, deinde exiguum id, quod reliquum tibi est, disperdis, unde ad eam paupertatem delapsus es, ut stultitiae solum paternae, animique ingrati heres relictus sis, ad recuperandum tibi illum agrum nostrum, quem quo tempore bellis occupati eramus, parens tuus usurpatorie occupaverat. Quod clementia usi simus erga iuventutis tuae furorem, id factum est ad dissimulandas, immo deridendas, tanquam telas aranearum, vanas tuas in damnum nostrum machinationes. Verumtamen ne apud vulgum crescere sinamus tuam existimationem, senatus autem vilescere auctoritatem, iubemus te turres Xiphoniae, atque arcem scopuli Cyclopei tradere Carneadi nostro, et confestim ab harum literarum receptione, ditione nostra excedere, nisi cum omnibus tuis coniuratis ab iisdem pinnis vis pendere, de quibus pater tuus cum reliquis suis praecipitatus est, ne salutem tuam aliorum precibus aut viribus amplius credas, cum sis inemendabilis: neque etiam arcis munito, cum arma Catanensia alas habeant.

CATANENSES SYRACUSANIS.

XXII. Veniam concessimus Hyblensibus Aetnaeis, quod lingua atque armis vestris insidiosis decepti, a nobis defecere: nec minori clementia, quam misericordia, usi sumus erga veterem eorum urbem patriam, opus avorum nostrorum, et turres reparavimus, ac muros reaedificavimus, adhibitis ad hoc opus iisdem

Diod. T. VI.

T

illis mille Libycis, sociis vestris, qui una vobiscum eos effregerant, ac deturbaverant, nunc autem a nobis ibidem praesidio relictis sunt: vestris porro eorumque clypeis captis, ad calcem apportandam. Et quoniam ea Catanensium est indoles, ut prosperis successibus non superbiant, sed vicentes ignoscere, ac prodesse soleant, dimittimus vobis liberos, ac donamus non vobis, sed sibi ipsis, et venerandae senectuti, ac Musis Stesichori, supplicis ipsorum patris, nominis atque pietatis Catanensis celebratoris, Celtum Syracusium, praefectum praesidii, et tres eius filios cum nuptiis quinque talenta a vobis ac patre pro ipsis oblata cedant in augmentum dotis virgini sponsae, et liberalitatis nostrae donum.

CATANAEI IISDEM.

Epist. XLI Libri secundi.

XXIII. Multis iam annis, cum per literas, tum per internuntios, consuetae misericordiae nostrae bellum minamini, poscentes Hyblam, eique vestrum rursus imponere praesidium. Manus invictarum domitricas, rebellium vero castigatrices, ferro campos purgare solent, neque radices agere sinunt zizania, ac spinas Syracusanas in solo Catanensi. Id ipsum, quod inique vos minati estis, nos Megarensibus vestris iuste fecimus, et victoriam adepti sumus.

CATANENSES LYTHREO DUCI, HELLE-
SPOTHII FILIO.

XXIV. Monarchia est Oligarchia nostra, sicuti semper fuit: concordēs uno omnes oculo cernimus, una lingua loquimur: quemadmodum omnium nostrum una est voluntas, sic unum omnibus patrimonium est: unus nos Deus agit, unus Briareus, sed optimus Centimanus movet. Multi sunt rami, sed unius

versorum una radix est. Ne spera, te alligato linguae tuae catenis uno alterove membro, totum unquam in tua potestate habiturum corpus: boni Medici membrum corruptum amputant, ne totum corpus perdant. Dactylum iam corruptum familiaritate EK --- tuisque promissis ac donis in perpetuum exilium eiecimus, castissimamque eius uxorem Hegesiam, proditionis revelatricem, propterea necatam, sepulcro ac statua auro coronata in foro nostro Lunari honoravimus. Denique Calliandram cum universis opibus paternis in matrimonium concessimus Tiryntho, rivali tuo, Dactyli inimico, idque propterea, quod invidiae etiam tormento te castigari oportet.

PHILANTHROPUS PONTIFEX MAXIMUS CATANENSIVM, COCALO REGI.

Epist. LII Libri secundi.

XXV. Elapsus iam est septimus dies Metagitnionis, et illuxit eiusdem ultimus, nec dum tamen advenere legiones tuae, quas per literas nobis promissisti, in auxilium nostrae, immo tuae veteris regiae, avorumque tuorum patriae. Tu nihil curas, perque socordiam ac somnium inter uxorum tuarum illecebras, et concubinarum tuarum delicias aetatem ducis, tanquam tua nihil referat, quae damna, quam ruinam patiatur haec urbs, quae non semel tibi mater ac nutrix tantum fuit, sed semper et consors, et socia fidisima. Num credis, capta a Libyeis aliisque hostibus urbe Catana, tutum tibi mansurum regnum, quod parvulo inclusum triangulo, propter bella hoc tempore civilia ac tyrannos incertum ac turbulentum tenes a Barbarorum potentibus armis, aliove belli genere? Crede mihi, erras. Tibi dico: neque tu, neque reginae tuae, aliaeque concubinae, neque filii ac servi tui, qui tecum genio indulgent, neque horti tui, toto

anno florentes ac frugiferentes, neque ingentia peristyllia, neque regia tua, cum sellis argenteis, solio subselliisque auratis, neque divitiae tuae, deliciae, aliaeque res cariores, pretiosioresque, quas in ea urbe non minus incertas possides, neque adeo libertas, neque vita tua, neque titulorum longa series, nec honor, tecum manebunt; sed aut vituperatus, aut profugus vives, singulis horis moriens, aut, in duram servitutem abductus inexorabilibus victoribus Barbaris servies, perimens tua negligentia maiorum tuorum gloriam, quae in te vivit, verum in te morietur, si dorminas auxilii tempore, et amicos tuos indemnes praestare negligas; nihilque inferiora erunt damna tua infamia. Praeveni itaque, o rex, (si hoc tibi nomen carum est) exspectationem sollicitudine, ipsisque rebus confirma promissa regia, et fidem Deorum, et leges amicitiae, et advola, ac defende muros et templa sacra, quibus parentum tuorum ossa, cineresque venerandi, sanctaeque reliquiae, Deorumque arae continentur.

CATANAEI COCALO REGI.

Epist. LIII Libri secundi.

XXVI. Quaeris ab obsessis, quo loco res sint obsidionis, quae hostium vires, quinam boves illi Libyci, qui in perniciem nostram adducti sunt: faxint Dii, ut necessitas fiat, si haec tua est curiositas, ad maturandas cohortium tuarum suppetias. Nobis vix tempus reliquum est non dico capiendi cibum, aut ullam requiem super oppugnatis muris, sed vel respirandi, ob continuas hostium irruptiones, quibus multis de partibus interdum et nocte infestamur, certi vita potius, quam patria, cumque patria honore simul cedere. Hisce non obstantibus inter saxorum sagittarumque tempestates, et inter sanguinis imbres, in-

ter ipsas mortes denique raptim rescribimus successus nostros, quaeque scire desideras, in sordidis hisce atque incultis tabulis inceratis, quippe quibus hoc tempore non ita prae manu sunt pelles, corticesque papyri. Legis, si non ut vis, at ut potes, tua nostraque damna, et eladem, quam nobis obsidio infert. Trium epistolarum suprema, quam Ephethrae, exploratori nostro, ad te perferendam dedimus, ideo tibi reddita non est, quod captus ille ab hostibus extemplo chartam de industria deglutivit: vivus autem exenteratus ab hostibus, sua ipsis viscera nostraque secum per literas communicata secreta manifestavit coactus. Ne potes tui Chilocrates et Triparchus, pleni gloriosis vulneribus, sed non indeffleti aut inulti occubuerunt: ille dum muros defendit, hic extra urbem una cum trecentis aliis nobilibus in primo congressu; scias autem, tantam esse gloriam, ut mortis damnum superet. Trinympha mater, doloris impatiens, e muro sese praecipitavit super occisum filium, cumque lacrimis effudit sanguinem et vitam suam, quae et ipsa iam volatilia facta Elysios campos petebant. Nos ad incitatus redacti sumus, et omni ferme spe destituti, nisi tu adsis. Quod si integrum unquam foret animis invictis, ac mortis contemtoribus, pro liberorum ac coniugum salute patriam deserere, nunc tempus adesset, eoque magis, quod hostis sub conditionibus nobis securitatem spondet, et viam fugae aperit: verum honoris defensio, sacrorum templorum reverentia, Deorumque immortalium religio id prohibent. Impia res est, sepulcra relinquere aperienda, patrum nostrorum cineres spargendos, aras sacras profanandas, ut infami salute profanemus animos nostros. Non permittant Penates, ut hasce abominationes oculi Catanenses aspiciant superstites. Commeatus omne genus inopia iam premimur: missilia nobis tela vix suppetunt, imminutae sunt vires defensionis, fractae debilitatae-

que ballistae, catapultae, ceteraeque omnes machinae
 eminus iaculantium: solus nostrorum animus in per-
 petuum manet infractus. Exercitus hostilis tam nu-
 merosus nos urget, ut vulnere absorbeat numerum,
 et hastatorum iactus frustrare quodammodo videatur,
 et operiat non solum arenas litorum, verum et cam-
 pos et colles, qui nobis circumiacent; neque unum
 aliquem exercitum, sed totam Libyam, in perniciem
 nostram concurrisse dicas. Neque tamen haec expa-
 vescimus, quoniam, quemadmodum hostibus nume-
 rus ac potentia accrescit, sic defensoribus animus,
 tantoque magis amore patriae incendimur, quanto nos
 vires atque spes destituunt. Verum cum animus,
 absque virium ope, parum aut nihil iuvet; aut veni,
 aut saltem ne tarda copias mittere auxiliares. Clas-
 sis hostilis tanta est, ut triginta naves quinquéremes,
 centum quinquaginta triremes Liburnicas rostratas,
 ducentas rates, inter militares onerarias, et hippagogas,
 et lintres, et hemilias, et speculatorias, in universum ad
 numerum septingentarum et amplius contineat. Pri-
 mo adventu ad ancoras constitere in Caietongia no-
 stra, ac tredecim turres, quae commeatui ac merci-
 bus reponendis nobis inserviunt, expugnare: mox
 occupata mole, tam prope urbem accessere, ut saxa,
 ac tela missilia catapultarum, ballistarumque superne
 e turribus iactae submerserint quinquéremem practo-
 riam. Classis maiori ex parte iam stat subducta su-
 pra urbem, loco, ubi laedi non potest. Boves Libyci
 quadraginta duo sunt numero, et bini copulati unam
 turrem ligneam in dorso portant, quae pluribus ho-
 minibus telorum iaculatoribus occupatur. Besti-
 ae sunt ferocissimae, quadruplo et quintuplo no-
 stris bobus maiores, rostro seu naso (proboscidem vo-
 cant) longissimo instructae, quem quaquaersum fle-
 ctunt, et circumagunt vi magna, et quo manus instar
 utuntur, militibusque clypeos et arma de manibus eri-

piunt. In ore duos dentes gerunt candidos, multumque prominentes, ceu duo cornua magna, et tam hisce, quam proboscide illa, nocent, stragemque ferunt hominibus et equis, tam validi ac terribiles, ut in nostros irrumpant, atque ordines et agmina confundant, neque quo iis resistamus, quidquam reperimus: huc accedit, quod equi nostri, qui (inter occisos ferro, laboribus, ac fame) vix mille nobis supersunt, ad primum hostium monstrorum conspectum territi, in fugam convertuntur, neque freno ullo aut virga retrahi eo possunt, adeoque inutiles nobis ad proelium facti sunt. At Polichius et Theodorides, inter nostros animosissimi iuvenes, re ipsa nos docuere, rostrum illud haud difficulter praescindi, viamque nobis aperuere, quam non modo resistere hisce animalibus, verum et ea ulcisci queamus: posthabitis enim mortis periculis adieundis, cum trecentis ex omni iuventute Catanensi lectis sociis, in summo ardore proelii, non minori vi, quam audacia, confertissimos hostes penetrarunt, et illas bestias cominus aggressi sunt, duabusque ex illis promuscidem praecidere, duas alias trucidarunt, adacto in ventrem vulnere, quia reliquis corporis partibus non poterant vulnerari, sive ob corii duritiem, sive quod laminis osseis, vel thoracibus impenetrabilibus oblectae essent. Theodoridi tamen nimius ardor, dum ad maiores adspirat honores, mortem conscivit; reliqui iuvenes partim ab hostibus caesi, partim reversi sunt, gloria non minus, quam vulneribus, pleni. Sicanorum decem millia, ab hostibus secum contra nos militare coacta, praesto iam sunt cum arietibus suis, aliisque machinis bellicis, ad effringendos muros huius urbis, quam campi ipsorum haud semel propugnatricem experti sunt: et plus iam damni accepimus ab insulae huius incolis, quam exteris nationibus hostilibus. Universi autem Naumachiam occupant, et Circam Maximum, et hisce cen sculis uti

conantur ad conscendendos muros nostros, sed frustra ab hac parte: moenia quoque ab alia parte urbis perforarunt, perque primum murum, sanguinolentum sibi introitum consecuti sunt, et secundum iam tentant, sed inutili labore, ob resistentes defensores. Ptolemarchus reposcit uxorem et filias suas, obsidionis nostrae causam, quas quinquere mis nostra ex mari Africo huc advexit captivas, ipse autem nudius tertius pila quadam, de catapulis suis missa, cuius casu diffractum tectum, ubi asservabantur, eas oppressit. Nos inreiciurando earum mortem causamur, cuius ille in redulus auctorem sese ipsum esse minime credit, easque, animo suo vivas sibi repraesentatas, a nobis flagitat, additisque minis, et mactatis ante oculos nostros captivis Catanensibus, tam crudelibus quotidie spectaculis efferatur, tamque crebris assultibus obsidionem urget, ut nulla temporis intermissione alii aliis succedant. Lege itaque, o rex, quibus procellis in horas nos impetat fortuna nostra, tibi que et nobis prospice, et succurre, antequam manus hostiles solo aequent triplices nostros muros, quos saepius regni tui coronas dicis, et paullulum illud spei, quod nobis adhuc superest, prorsus extinguatur.

SALIUS CATANAEUS SALIO SYRACUSANORUM.

XXVII. Frustra tu et obtestationibus, et precibus, et hostiis, Lares atque Penates nostros revocare laboras extra moenia Catanaca, intra quae ad nos confugere: Genii vestri et auguralibus indiciis propitios sese monstrant. Nos, qui urbem iam lustravimus, Paeanas cecinimus, Ambarbium celebravimus, Ambarvalia promisimus, ceteraque, quae libri sacri et Sibyllini docent, speramus quamprimum mactare victimas. Ego ab hisce aris et ab hoc propitiatorio

nunquam dimovebor, neque tuae mihi literae persuadebunt, at a sollemnibus abstineam expiationibus.

CATANAEI DAEDALO ARCHITECTO.

Epist. LXX Libri secundi.

XXVIII. Monuisti nos, fabricas Naumachiae nostrae, ac Circi Maioris, quod vicinae nimis, ac tantum non contiguae sint moenibus nostris, scalarum et arcis usum contra urbem nostram hostibus praestare posse. Ingenium illud unicum tuum, quod veterum architectorum in hisce errorem nobis monstravit, quem tot seculis nullus architectus assequi potuit, nedum emendare, monstret nobis quoque modum, quo salva operum tam praeclarorum magnificentia, vitiis illis mederi, patriam praestare securam, et in propugnaculum ea nobis convertere queamus. Aut veni, ut hoc nos doceas, simulque intersis sacrorum ludorum, et Epibatarum spectaculis, conscensa navi nostra, cui alas tuas posuisti; aut rescribe, quid tuum illud fallere nescium iudicium tota de re statuatur. Interim in argumentum nostrae erga te benevolentiae accipe duo talenta: huic autem desiderio tuo circa praestandam illam securitatem civitati nostrae, consentimus, non nostri ipsorum causa, sed ut illam conservemus adversus insidias: non enim tam angusto circulo includi sese patiuntur animi magni: non crassi, non triplices muri, sed viri fortes ubique et constituunt et armant civitates. Probe nosti, canes Catanenses intra ovilia haud temere obsideri a lupis: neque personae nostrae, neque arma, otiose post muros latent, sed praecurrere adversarium solent, quoties praevenire sibi conatur.

CATANENSES EIDEM.

Epist. XCV Libri secundi.

XXIX. Saepius nos hortatus es, sollicitus de pu-

blica, immo tibi nobiscum communi securitate, sicut etiam in nostris necessitatibus amicum, in utraque fortuna fidissimum socium te praestitisti, ut vel omnes facultates nostras (si alio modo fieri non posset) perficiendis et resarciendis triplicium murorum nostrorum structuris antiquis impenderemus. Nos, ne videremur prodigi, aut securitatem nostram in reparandis crassis muris turribusque immanibus, antiquissimorum fabrorum nostrorum Cycloperum opere, multis abhinc seculis inchoato, collocasse, plures annos a perficiendis iisdem supersedimus. Verum ne et operum antiquorum tamque celebrium adeo, ac nobilium fundatorum, aut persuasionum tuarum, ingeniosissimi inter omnes mortales viri, contemtores arguamur, in praesentia centum ac tredecim talenta veterum turrium reaedificationi, ac novi muri instaurationi, ad designatae a te ichnographiae modulum, destinavimus, impensam sane, quae si vires nostras, non tamen animos superat, praeter drachmarum myriades, a maioribus nostris expensas, chiliadum enim vix ratio habita.

CATANENSES EIDEM.

Epist. XCVI Libri secundi.

XXX. Ad opinionem falsam, quam de nobis Concali regis parasiti stulte coram eo conceperunt, dicentes tibi, ut Lampirius nobis scribit, non minus timiditatis nos esse suspectos, quam superbiae, ac prodigalitatis convictos, propter impensam, et urbis communitatem, quae tibi ceterisque sapientibus visa est necessaria ad patriae nostrae conservationem atque decus; nos responsi loco nihil aliud ipsis reponi volumus, quam publicam literarum tuarum exhibitionem cum urbis ichnographia. Quis autem Daedalo peritior est? Verum tu, qui paucos nos multis congressos

sub Megarorum moenibus, ter manus conferentes,
ter victores in campis Agrigentinis praesens vidisti,
tu, inquam, pro nobis respondere, quantum satis est,
poteris. Adde autem, nos esse prodigos earum opum,
quas sanguinis nostri pretio nobis a Dea Victoria com-
paravimus, ac liberales earum, quas Ceres et mater
Idaea de nostris sudoribus nobis reddunt.

CATANAEI ARTHOO.

Epist. XVI Libri tertii.

XXXI. Dolorem nequaquam minuit dissimula-
tio: fingis et cupis, te non sentire iniurias ac damna,
quae a nobis accepisti, neque te ipsum noscere illo
speculo, quod noster, vel tuus potius tibi exhibuit Pro-
toiatrus. At specimen hoc puerilitatis tuae, non vo-
lumus dicere stultitiae, est, quam malitiae tuae super-
inducis, quod ad vitia tua et delicta Meapsiodae tui
connivens, te tibi persuadeas videri a nemine. Sed
negare non poteris, etiamsi ab oculis excludantur, per
aures tamen penetrare dolorem atque invidiam.

AGATHOCLES REX PHTHIANDRO CA-
TANAEO.*Epist. XXIII Libri tertii.*

XXXII. Ocius dispone angustae domui tuae, et
veni homo homini Deus: anguste enim mecum prae-
eris unus.

AGATHOCLES TYRANNUS SYRACUSANUS
PHTHIANDRO CATANAEO.*Epist. XXIV Libri tertii.*

XXXIII. Scire a te vellem, o Phthiander, num
Theognidis Sophistae adhuc hortulanus sis, et
num merces tibi sufficiat sustentandae pauperrimae

vitae tuae philosophicae, qua regiam, divitias, atque amicitiam meam, optimi tyranni, negligis?

PHTHIANDER CATANAEUS AGATHOCLI,
TYRANNO SYRACUSARUM.

XXXIV. Operibus servilibus ingenue libertatem meam conservo, et voluntario cultu hortorum Theognidiorum, qui meo ac domini mei corpori pariter atque animo fructus ferunt. Tuum metumque exterio-rem sperno, et (licet externe pauper) eo contentus vivo, qui hominem interne ingenuum, et Deos spectat. Scias, me propriis manibus, quibus res terrestres collo, metiri coelestes, et conscribere historiam, hominumque celebrium et Heroum laudes, nec non miseriam tyrannorum. Experientia enim iam didici, raro aut nunquam tyrannidem ac probitatem, aut opes atque amicitiam eodem loco consedisse.

CATANENSES PHALARIDI SALUTEM, AC
PACEM, SI VELIT.

Epist. XXVI Libri tertii.

XXXV. Scribimus tibi, et loquimur, ut legistatores: respondemus, ut iudices. Agrum Agyrinum et Assorinum, quem utrumque armata manu, ac iusto titulo in potestatem nostram redegit, a parte rei publicae ac populo Catanensi adiudicamus. Quod ad Symaethum fluvium attinet, tibi de eo non competit indicare, et iam provisum a nobis est, ut agri nostri sit terminus, et camporum Leontinorum, nobis communium, nostrique census. Si tibi forte suspecta sunt arma nostra, eaque de causa milites, arma ac munimenta paras; dicimus tibi, nos esse conservatores non minus quam amatores pacis. Caveat itaque sibi a manibus nostris ultropicibus lingua tua semper armata: non enim verbis mortuis bellum gerere

consuevimus, sed factis vivis. Quod si bellum vis, excepturi te sumus armis iustae defensionis, et speramus victores fore ignoscendo. Vanæ suspitioni (nolumus dicere metum) sive tuæ sive tuorum sendandae publice et in universum hæc charta inserviat, et scias, ab eiusmodi persuasionibus pendere, ut aut miser tibi aut felix videare, ac revera sis. Ille locus, quem tu exsilium vocas, fortibus habitatoribus patriæ instar est.

CATANENSES PHALARIDI.

Epist. XLV Libri tertii.

XXXVI. Misisti Albionem cum octingentis equitibus et sexcentis peditibus, præter triginta currus falcatos, ut Agyra, atque Assoro, et Chrysæe fluvii limitibus nos spoliare. Nos cum septingentis viris in campo aperto sæpius ipsi pugnae copiam fecimus: verum ille cautior, sive perdere tot hominum salutem metueret, sive ne iterum captivus in manus nostras incideret, satius duxit, non obedire unius avaritiæ et rabiei tyrannicæ, desertisque, cum suscepto munere, curribus præda onustis, clam noctu, non dicimus aufugit, sed abiit. Campi victoria, ac spolia Catanensibus ab hoste, non nisi sanguinis ac vitæ profusione, eripiuntur.

CATANENSES PHALARIDI.

XXXVII. Vere dicis, te in animo habere, bellum nobis inferre, cum propter te ipsum, (qui semper sudoribus, et lacrimis, et sanguine tuorum, qui odio te habent, tuamque tyrannidem, inebriatus es,) cum propter numina, quæ tibi sunt Crudelitas, et Avaritia, nobis ignota. Nos idem quoque in te statuimus, qui trahendus nobis es captivus ante aras Pietatis, Honoris et Iustitiæ, numinum Catanensium, Phalaridis inimi-

corum, ad placandas eorum iras tuo holocausto, sicuti Aetnaeo igni sacrificavimus tuos illos triginta, qui portas aereas templi nostri Vulcani, antiquissimum et nobile opus Cyclopum, tibi tantopere laudatum, cremaverant, ut et lucum sanctarum Hamadryadum, quocum hae natae fuerant, et stridentes in flammis iam exstinguebantur. Exspecta igitur a nobis, istorum numinum ministris, et a numinibus ipsis vindictam: neque enim pias magis, aut honorificas iis Hecatombas facere possumus, quam si tua morte eas placamus.

CATANENSES SYRACUSANIS.

XXXVIII. Quod vobis concedere noluimus, ut per prodicionem mitteretis ignem in classem Atheniensem, quae in Gaetongia nostra sub incorrupto Medio Fidio nostro hibernat, et in utramvis aurem otiose, quod aiunt, dormit, interminamini nobis bellum et mortes, aut Latomias Syracusanas. Nos autem, qui hisce seculis a victimis humanis, antiquissimo illo sacrificandi genere abhorremus, armata manu vos aggressi, non in victimam aut hostiam holocausticam vos mactare constituimus ante aras Hecates nostrae, a vobis praedatoribus toties offensae; sed experiemini solummodo, quam grave sit supplicium, in perpetuum ad metallicas nostras fodinas Cyclopeas damnatos esse, ne nimia clementia erga vos crudeles simus.

CATANAEI HIMERENSIBUS.

XXXIX. Preces excipi solent exhortationibus, hasce sequuntur fere minae, ultimo demum ad arma concurritur: et hunc ordinem in actionibus humanis passim observare licet. At vos Himerenses, viribus vestris maiora ansi, contrarium fecistis: primo enim armis nos tentare coepistis et insidiis in obscuro; de-

inde minis et exhortationibus in publico; postremo autem ad preces a vobis in secreto ventum est, postquam nempe iam satis experti estis nostras ad resistendum vires. De vestris autem viribus, aequae ac de subsidiis Phalaridis desperatis, qui iram atque arma Catanensium lacerare noluit, quippe qui probe norit, eos, qui primo, atque iterum iniuria nos affecerint, tertio tale quid handquaquam ausos, vel viribus ad id satis instructos fuisse. Fortitudo ratione carens leges atque ordines turbat, metus observat. Iam si altera vobis damnosa fuit, alter erit inutilis. Is erat ordo: sed sive eum observaretis, sive non, nihil vobis prodesse posterat ad obtinenda a nobis ossa Stesichori, nativitate vestri quidem, verum patriae electione nostri. Ea vera demum patria est, quae eligitur, non ubi quis nascitur. Nos in nostra hac civitate, donis vivum, et magnifico sepulcro porphyretico mortuum eum honoravimus. Et iam cernimus, vos literis vestris, repetitisque minis provocare denuo homines, qui et vivos et mortuos vestros honorant. Nos ordinem turbare nolumus, sed a verbis mortuis exordiemur, eaque deinde factis vivis excitabimus. Igitur vobis dicimus, ne molestum vobis sit, velle quod ille voluit, et virum illum divinum honorare templo vestro, e longinquo, quemadmodum nos e propinquo, sepulcro nostro; nam cum tota Himera, dum infans esset, vix ipsi pro cunis sufficeret, adultae aetatis eum non caperet in vita: quomodo vultis, ut post obitum locus tam exilis sepulcrum sit tanto viro, quem ne tota quidem Europa, nedum Sicilia capit? Quid igitur, o Himerenses, tanto opere a nobis petitis veneranda illa ossa, quibus moriens ipse hanc urbem collocupletare voluit? Ille relicta Himera Catanam venit, quam vivens sibi in patriam elegit, moriens in sepulturae locum. Si non potuistis penes vos retinere virum illum liberum in vita, neque iuris aut domini

quidquam vobis erat in vivos vestros, qui fieri potest, ut iam in mortuos, voluntarie factos nostros, habeatis? Solus Pluto hoc habet imperium. Si itaque hoc precamini, nolumus: si iubetis, non potestis; si minas additis, temerarie facitis: si denique vi et via belli rursus quaerere mortuum in animum inducitis, universos vos vivos perdituri estis; et ubi aliena ossa quaeritis, vestra relinquetis, vestraeque invenietis sepulturae locum, quem ne hostibus quidem negare solemus.

SENATUS CATANAEUS THICHNAE.

XL. Haud levibus de causis Triumviratus honore dignus fuisses indicatus, in eumque forsau cooptatus, nisi apud Senatum per precum intercessionem, quodque peius est, per pretii infamis oblationem, id efficere studuisses, ambitiosum detegens animum tum, quem oculis, obstinatione non minus, quam simulatione tua deceptis, celasti. Qui magistratus emit, necessario institiam vendit. Iniuria haud levi Patres patriae, teque ipsum, affecisti, dum per vias tam turpes ausus es affectare illam dignitatem. Prohibeant Penates, horum moenium custodes, ne quis unquam tribunal, ubi nunquam iniustum aut venale iudicium fuit, conscendat, nedum ibi sedeat tam corruptus, et impune inde exeat. Immo secundum maiorum nostrorum decreta et ordinationes cavendum duximus, ne quispiam tuo posthac exemplo inductus, iterum haec scelera tentare audeat, adeoque ex senatusconsulto non modo ab universis honoribus ac dignitatibus arcere te visum est, verum etiam in perpetuum exilium damnare.

ANAPHORMACHUS CATANENSIS TIBI,
ALEXANDRO PHILIPPI REGIS F.

XLI. Ridet Apollo Abderitam Anaxarchum, qui,

dum nostra Chaldaeorumque vaticinia despectui habet, mortem tibi accelerat, o Alexander, fili non Hammonis, sed Philippi. Si Babyloniam, fatali tibi urbe, abstines, tranquille ad ultimos victurus es climactericos. Quae diis clara sunt, haud penitus a nobis mortalibus ignorantur. Cum itaque immutabile sit fatum, et ab aeternitate profluat irrevocabile quoque telum mittat necesse est, et irreparabile vulnus inferat ei, qui sciens ac prudens illud incurrerit. Vive autem tu tibi, nobisque Catanaeis, victoque a te terrarum orbi, si vis, quoniam potes, cum iam scias: at nescis, neque potes, si non vis.

ANAPHORMACHUS SOPHIAMITRAE.

XLII. Infaustus influxus coelestis adeo maritum tuum urget ad oppetendam mortem in aquis, quibus tantopere delectatur, ut ab iis avelli nequeat: amat itaque rem, in qua latet, ac paratus est ipsi interitus: et comitem habet inimicus hic influxus immodicum divitiarum suarum amorem, quae profecto, si ad vitae inaeestimabilem illum thesaurum comparentur, ne tantillum quidem valent. Horreo eius mala, quae mentis acie perspicio: nam caecus est, oculis nihil cernere valet, adeoque nec timet. Doleo vicem tuam, tuaeque matris, quod cum ad opes eius avare attendatis, personae negligentes sitis ac prodigi, et in caritate crudeles. Deos precare pro me, qui timeo ac precor, proque eo, a quo tua tuorumque filiorum vitapendet: ac perdere noli tempus, quin assiduam facias salutis ipsi consultricem, vitaeque medicam, linguam tuam.

CATANAEI TOPATREO ARIARCHO.

XLIII. Infinitis mendaciis ac dolis persuadere conatus es Ennaeis, Himerensibus, et Syracusanis, ut bellum facerent, hisce tanquam ob ius in agrum no-

strum, illis, ob ossa Stesichori, et statuam Cereris Vetricis, quam a multis iam seculis possidemus; verum neutros, utpote pacis conservatores, ab amicitia nostra remove potuisti: neque enim reipublicae suae tranquillae summam eos in manum fortunae rursus tradere oportet, ac novo experimento discere, quam probe nos, cum lingua, tum manibus, defendere noverimus. Dux tamen Ennensium atque Himerensium a tumultuante plebe electus, ut timidus plane atque indignus recusasti illud onus, excedens nimirum vires tuas, nostrarum haud ignaras, causatus metum ob filiorum tuorum salutem, qui leones facti, a te, tamquam fugitiva atque astutissima vulpe, degenerarunt, adeoque a redeundo ad te abhorrent, nolentes fingae tuae rapinarumque tuarum socii atque participes fieri, et in manus nostras denuo incidere: hanc autem patriam sibi, nosque parentes elegerunt. Iam vero cessante excusationis causa, arma, (si tantum tibi est animi) in nos cape, et infelicissimum percipe fructum, ut pendeas ex iisdem illis Minervae oleis, quas cremasti, et e quibus, vita illa, quam tibi ob coniugis tuae et supplicum antistitarum preces donavimus, indignissimam semimortuus ablati es, et veni, quandoquidem iam corvi reliquaeque aves rapaces cadaveri tuo inhiant.

CATANAEI MAMERCO CATANARCHO ET
TYRANNO.

XLIV. Revocamus te a templo et luco Vulcani Aetnaei, ubi toto die stas otiosus ac moestus. Tanto sane tyranno indigna res est, super mortuis inutiles fundere lacrimas. Num hisce ab Elysiis revocari posse credis? Sepulcro suo conditum relinque Polipuli tui cadaver, factum iam putridum ac pestilens: in ipso enim proclii ardore mortuus gloriose vivit, tu vero gloriam eius lugere videris. Veni itaque ad spectanda

cula nostra, et Tragoediam, non tam ut voluptatem ex molestia, quam nobis affers, capias, quam ut cognoscas rerum humanarum Tragoediam, tyrannorumque in huius vitae scena miseriam, et ab histrionibus, alienas personas indutis, intelligas, quae adulatores tui te celant, amici vero, et nos in hac fortuna circa nostram tuamque salutem, tibi detegere non audemus. Parce tibi: nam qui nimis luctibus indulget, quemadmodum tu facis, immerito sibi nomen Philosophi arrogat, quod tibi sumis: quippe Philosophi, ut Dii, neque laetantur, neque tristantur.

HERMILIA, CERERIS CATANAEAE SACERDOS, TIBI PHALARIDI, AGRIGENTINORUM TYRANNO.

XLV. Vara suspicio, quam de senatu populoque Catanaco concepisti, maximo tibi nocumento est, tibi que turbat exiguam illam quietem, quae reliqua tibi est, quamque decerpis a convictu sapientum, qui in vanum te circumstant, hortantes te ad deponendam tyrannidem, sine qua sustentare nescis, immo neque vis, vitam tuam, plenam non minus crudelitatis, quam mortis terroribus, atque periculis, assiduis propriae conscientiae (proh dolor!) subiectus tormentis, licet absque fructu. Cave itaque tibi, tuaeque ditioni ab altera eorum vindicta: at certus sis, Cererem, ut opera manuum Cycloperum fundatrix vetustorum horum moenium, atque ita domina eorundem atque regina fuerit, sic opere manuum Catanensium terribilem semper sese praestitisse propugnatricem, immittendo cum morbos insanabiles, ut alias hominibus sceleratis, tum Erinnyas, ut tibi in praesentia, quod per incendiarios tuos, qui omnes iam interiere, fruges suas, per sacra Catanae rura, mille facibus nefandis cremasti; et haec fuere resplendentes istae stellae errantes, quibus te exornare somniabas imaginem Cereris Catanaeae. Faxit Apol-

lo, ut falsa somniorum tuorum, tam infausta omina portendentium, interpretes sim. Scias autem, cineres segetum, igne a tuis hominibus vastatarum, sive naturae fuerit haec benignitas, sive universalis matris Terrae in te prodigae, erga nos liberalis, fertilissimos reddidisse campos exustos frugibus; te autem invidia. Morere itaque, o profane, in horas, intra proprium tuum cadaver, morborum tuorum portatile sepulcrum, in foetore ac sceleribus tuis, et consumere supra terram sensim in lecto doloris tui, quippe haud dignus es, qui recipiaris a sancta illa Dea matre Terra, quam igne ac sanguine humano toties foedasti.

HERMILIA EIDEM.

XLVI. Valde literis tuis gloriaris, potentem te esse divitiis tuis. Qui oculis captus non est, nihil in te praeter fortunae bona videt: animi bonorum supra omnem miseriam pauperrimus es. Quenam miserior sors mendicantis reperiri potest, quam ut quis alienas emendicet divitias, idque per tyrannidem, ut tu facis, qui supra omnes homines ditissimum te appellare posses, si parvo, eoque bono contentus esses, nec non virtutum thesauro, quae a te exsulant? Nunc ab ultricibus Cereris ac Proserpinae diris graviter percussus, et in perpetuum a conscientiae propriae morsibus vulneratus atque cruciatus, nummis et donis earum gratiam, tanquam venalem et mercenariam, redimere conaris. Abominantur sanctae illae Deae placamenta auri tui atque argenti obscurissimi, lacrimis et sanguine humano foedati. Certus sis, gratissimum, quod ipsis offerre possis, sacrificium futurum, si te ipsum victimam sis, licet immundam, et tuo sanguine, tuaque humano generi salutifera futura morte, eas places.

M. MARCELLUS SENATUI AC POPULO CATANENSI.

XLVII. Solus Archimedes ille ingenii sui armis pro Syracusis totis depugnat, et nobis earum expugnationem remoratur. Catanaei vestri, socii nostri, in obsidione, nocte dieque, strenue sese gesserunt, nihil otii sibi unquam concedentes: unde prae omnibus mortalibus indefessos eos reputavimus. In ardore proelii ter muros urbis conscendere, ter ibi vexillum posuere, ter ab obstinatis defensoribus, ad desperationem eadem de causa redactis, depulsi sunt. Bona eorum pars in impressionibus faciendis periit, ut vivat eorum semper in nobis amicitia, ipsorumque patriae memoria. Mittite quamprimum reliquos, in obsessorum spolia inque coronas ipsis successuros. Cum iisdem expectamus quoque reliquas illas catapultas, arietes maiores, ceterasque machinas, atque tormenta muris oppugnandis. Si in tempore, reliquo frumento conseveritis castra Romanorum, amicorum vestrorum, qui urbem, paci ac libertati vestrae perniciosam, evertere nituntur, reddent vobis centuplum.

CATANENSES HYBLAEIS.

XLVIII. Iisdem illis testudinibus, arietibus, et tormentis bellicis captis, quae fusus a nobis exercitus Syracusanus reliquit, cum Hyblae urbis oppugnationem aggressus esset, Megarenses muros evertemus, et cum M. Marcello iam coepimus Syracusanos concutere.

SENATUS CATANAEUS GYMNOPILO.

XLIX. Non quod es Comarchus, et, uti re ipsa satis probas, ab antiquis Heroibus Catanaeis originem

ducis, neque etiam quod iure successionis multa possides, sed ob exiguum illud, quod multa pugnando, haud semel victoriam, quantumvis arduam, adeptus, in potestatem nostram redelegisti, ducem te creavimus legionum nostrarum, et hoc tanti momenti munere, unde patriae pendet salus, te ornavimus, quippe quod nemini nisi valde probo ac strenuo contingit. Adde, quod in te repraesentari agnoscimus imaginem fortissimi Gymni, avi tui, qui tormentis ab hoste subiectus, ne patriae secreta revelaret, linguam sibi dentibus praemordit, et una illa perpetuum tenuit silentium, quod universis deinceps linguis semper celebraretur: tandem membratim ab eodem hoste discerptus, atque exenteratus, pro libertate, proque amore communis tibi nobiscum patriae mortuus est. Recipe itaque hastam ceteraque insignia imperatoria a Philandro Meapsia, et dic ei, nos ipsum constituisse ducem classi nostrae, a qua expectatur iam dudum in portu Ongiae. Tu cum exercitu prosequere victoriam, quam mors Hieronis nobis attulit, contra Erythraeos, et Syracusanos, urbe pulsos, et arma nostra tam longo tempore sepulta, nunc autem eorum sanguine resuscitata, fugientes. Obsidione Enosiam cinge, cuius turribus et arcibus omnem salutem suam concredidere. Tu fac, ut ad illustriorem te reddendum, non solum generis origo, verum et fortitudo ceteraeque virtutes tuae concurrant, et ab expugnatione expecta coronas, ac triumphum non modo, sed et spolia.

CATANAEI DUCIBUS CLASSIS LACEDAEEMONIORUM.

L. Nihil fortuna, victoria, ceterisque rebus bellicis mutabilius, nihil quoque regnis atque imperiis, quippe quae in earum manu, sede omnino incerta, sunt, minus tutum; virtutes autem, animi nimirum

illae, inexpugnabiles. Vos Lacedaemonii, qui Spartae aliquando, tragicae atque impiae Catanensium fortunae derisores, et histriones et mimi fuistis, hodie ab eadem victi atque expugnati, fabula estis, et Comœdiae Comicis extraneis et nobis in scenis theatrorum Catanae, (non enim satis fuit vobis arridere solum, neque etiam suo tempore nos irrisistis) ut semper derideamini: at non a nobis, qui ne hostibus quidem etiam venia indignis clementiam ac misericordiam negamus, et crebro ignoscendi usu, quod summum genus victoriae est, habitum iam in naturam, naturam in necessitatem convertimus. Pro uno Ptiplisamo, machinarum architecto nostro, captivo vestro, quem liberum nobis, sed nudum remisistis, remittimus vobis togatos Chrespothiam, et reliquos undecim nobiles vestros, quorum, apud nos obsidum, obliti eratis, neque, cum nudi essent, ullam curam habebatis. Res sane vobis ducibus indigna est, architectum tam praeclarum, machinarumstrarum ruinam, non dicam male acceptum, sed plane incognitum vobis fuisse. Corpus quidem viri spoliastis, at ne universa quidem Graecia, nedum Sparta, eum unquam spoliaverit virtutum suarum detore, partaeque in damnum vestrum gloriae suae purpura.

L. CAECILIO METELLO ET Q. FLAMINIO
COSS. LAELIUS METELLUS S. D.

LI. Nescio, quo pacto literae meae, quas vobis conscripsi in Sicilia, tam brevi tempore Romam in manus vestras pervenerint, tot maria nimirum ac terras circumvectae. Nuntiatum enim mihi est, navem speculatoriam, quacum Romam mittebantur, captam esse a piratis Libycis, Libycos illos a Palaestinis rursus, ac Caesaream tandem in manus P. Cassii Praetoris delatas, inde demum in vestras pervenisse. Non opus esse puto, ut me excusem de tardi-

tate mea in perscribendis ad vos rebus Siciliae, ubi cum imperio sumus Proconsulari. Scripsi nudius tertius: verum quoniam audio, alteram illam quoque navem, quacum alteras hasce literas ad vos perferendas dedi, naufragium passam, tertias nunc adornare visum est cum Enthyimio Cinna, qui patriae causa Catanensium Legatus ad vos venit, vir nobilissimus, cum virtutum scientiarumque splendore, tum rerum per liberas non modo civitates, verum et regna procurandarum, usu. Iam mensis elapsus est, (neque novum quid Romae, opinor, apportabit hoc nuntium) tremere tota coepit Sicilia, Aetna primo genere, mox mugire, demum in aëra funnos, flammās, ac cineres densissimos eructare, postremo torrentes suos igneos evomere. Catana, ubi hodie adsum, terrae motu concussa, actaque longa, sed angusta ac profundissima, voragine superne deorsum, usque ad mare in duras partes scissa est. Devastata maiori ex parte, ac tantum non omnia eius decora, veterumque ibi monumenta, cineribus etiam oppressa. Prolapsa moenia borealia cum turribus, Cyclopum invento atque opere, nec non vicinum hisce templum Cybeles Magnae. Ruinam minantur Amphitheatrum et Gymnasium: proiecit autem templum Cereris, ac prorsus perdidit celebrem suam testudinem, nobile illud hemisphaerium. Pergusa lacus vicinus, Proserpinae sacer, a terra absorptus est: spelunca Ditis per quindecim dies flammās eructavit, subsedere magna ex parte ripae eius marinae, et terra sub mari; flammis effervescente, dehiscens maiorem partem molis prope urbem absorpsit, adeo ut non nisi Pharus eius pyramidalis in mari, et obeliscus eius hieroglyphicus in ripa supersit, conquassatum tamen utrumque. Amasenus in ipsa urbe per dies complures multis fontibus sanguinem putridum vexit. Hasce calamitates passa est civitas, Romani nominis tam amans:

ex statuis, aliisque, quae in ea sunt, simulacris, Romam mitto statuam Matris Terrae, sive Naturae, mamillatam, opus Mamurii; statuam Veneris Homicidae, pedibus mutilam, alteram Galatae cum Delphinis et concha marina, et statuam Acidis bicornis mysteriose absque brachiis elaboratam, cum altissima illa Cybeles, sed contracta, ita tamen, ut reconcinnari queat. Opera Museo, eoque Romano, haud indigna. Cum hisce una etiam obeliscus ille mittitur: quae cuncta Senatus recipiat acceptaque habeat, loco tributis istius, quod nondum persolvit civitas, vel ex parte adhuc debet. Luxere Catanenses religiosi, rebus ita carissimis spoliati, damnum suum licet voluntarium. Decernat Senatus remunerare eorum lacrimas tributorum in annos decem remissione, ut ruinas resarciant: cesset interim Quaestura. Immania sunt portenta ac monstra nuper in Sicilia conspecta: Colossus Zancloii marmoreus Messanae primum noctu coelesti quadam salsugine opertus, insequentis die totus in calcem dissolutus est, ut ne ulla quidem pars amplius restet. Taurus, promontorium, sive scopulus, arte in formam tauri elaboratus, sub Tauromeno, a continenti avulsus, et instar sulphuris aut bituminis ardens a mari absorptus est, cum bona ipsius continentis parte. Syracusis statua Solis vitrea ter sponte in durissima saxa pavimenti prolapsa, neque ullam fracturam passa est, ne digitis quidem, qui aeris instar flectebantur: collocata autem loco securo, sponte in partes minutissimas desiliit. Materiam haec auguriis praebebunt, Romanis autem neque admirationi erunt: neque terrori.

CHRYSEUS, DUX CATANENSIVM, NITHIRIAE PRAEFECTO.

LII. Numquid credebas, oculos nostros charopos non deprehensuros vel de nocte, Nithiriae insi-

dias? Tu retrocedebas, ut maiorem saltum faceres, nobisque abblandiebare, ut morderes, sed in vanum: cecidisti in foveam, quam copiis nostris praeparabas. Stultus est ille, o Nithria, qui suo non contentus, in pace belli ansam quaerit: praepriis si opibus ipse et honoribus pollet, et tamen aliena involat: incerta enim res est, et omni difficultate maior. Armis arma repellimus, et pacem bello inviolatam servamus. Catanae cervix indomita iugum nescit, attamen ceteris iuga tractat.

CEDRIA THAPSO.

LIII. Coacta, uti scis, ab Ephoris et populo Atheniensi, tutoribus meis testamentariis, nubere marito, de tot principibus, parvulum te, at generosum regulum, elegi, tuique, summi sacerdotis Cereris, amore consumpta magis, quam inflammata sum. Ad hasce res sola inter nos eloquens paranympa papyrus fuit, salacissimus pronubus, calamus; neque iam praecurrenti calcaribus, nec praevolanti alis opus erat; flexisti volentem. Et haec per te magis, quam per nos, efficere norunt Superi. Ego, inter Vestae steriles, summe iam contenta beneficio tuo magis, quam patriae, ad nuptias adacta sum; neque, cum regina essem Ephyracorum, aversata tamen fui te regulum, regem mihi constituere — — — Dicebas mihi, o fecte ac mercenarie amator, quod in me minime pulchrum esset, omnium aliarum superare pulchritudinem; quod minime esset opulentum, esse opulentissimum; et quod minime nobile esset, a nobilissima Heraclidarum prole oriundum. Verum aut tu non amplius te ipsum praestas, aut ego non sum eadem, quoniam ab eodem te, unde profecta laus est, natum etiam est vituperium. Tuus ignis nihil modicum habuit, sed statim in te exarsit, quemadmodum — — — ac potius deferbuit: meus non item, semel enim

in me accensus inextinctus ardet. — — — Quia ego volo, tu non vis; neque misera ego a te abstinere scio, neque si sciam, possim: voluntas enim mea a tuo non-velle magis voluntaria redditur, magisque vivax; sicuti tuum non-velle a meo nimium-velle. Alcibiades mortuus in perpetuum vivit penes me per fidem illam conjugalem: quia, infelicibus auspiciis, ad preces tuas nos coniunxit, ate una cum amore interentam. Athenas venisti Legatus Catanensium, fuitque dubium, utrum linguae magis dulcedine, an oris pulchritudine, dum mandata exponis, animas rapueris, me autem hac sola rapuisti. Animus meus, qui crebro alias, et in praesentia, una cum hisce literis, ad te excurrit, meliorem totius mei systematis partem secum fert: brevi reliquam exspecta. Si venire cessas, veneno mihi mortem accelerabo, extremam eamque certissimam vulneribus amoris medicinam, supremum infelicibus refugium, licet eam sibi ipsis vel optantes consequi Diinequeant. Exspecta igitur me umbram denno tecum in Elysiis Catanaeis victuram; si modo verum est, animas post mortem iterum in sempiternum vivere.

LIBURNO DEXTRATORI CETERISQUE DELATORIBUS, AC ELEUTHRIONI SCURRAE,
CETERISQUE PALATINIS PARASITIS, ARCHON CATANENSIIUM.

Epist. XII Libri tertii.

LIV. Si Lacedaemoniis, ac Syracusiis — — — secum in bellis transferre licet, num Catanaeis sine erubescencia — — — Inter Orgia sobrii castique sumus, Trieterica Libero patri, et Deae Voracitati, nostris Penatibus ignotae, cui delubra construxistis, nec ulla damus libamina. Quarto vicimus, si quinto surrecturi cedimus. A Diis bellatoribus pro nobis patratæ victoriae facinora tripodes, candelabra, pati-

nasque aureas triliores, coronasque tetrapondo aureas Iovi Deorum Deo, Cererique, Liberacque filiae, victricibus, ceterisque Diis immortalibus, etiam inferis nostris manibus consecravimus. Arantur Catanensia rura captivis hostium bobus, captivaeque iuga Punica praebent nostris colla cultoribus: hostium fortuna praeceps vires, non fortitudinem Catanensium vicit.

HIERO REX PHYLTRO QUAESTORI.

LV. Strenuus contra Syracusios propugnator Camestrius Catanaeus patrissans, insignia, praeclaraque facinora, pro patria sua, non diuturna obsidione, non mortalium armis (fatemur), sed numinum opem divinitus subiugata, patravit. Noster autem dux Hylon, infandum nostri dedecus exercitus, terque quaterque terribilem hostis frontem sustinere nequiens, trepidus terga dedit, quo longiori supplicio necisque genere sentem ad expiandam mortis iram puniamus. Sed quae longior, quae atrocior invidiae cruciatus? quod non unico brevique exitu vitam obtruncat, sed quotidianis suum semper necibus cor enecat. Inserviat igitur Hylon Camestrio, Hylonis Praetura Camestrius coretur, legioni eius imperet; stipendia, ceteraque ducalia ab Hylone auferantur. Camestrio, olim hosti, captivo nunc, ob patrata de se bene merenti haec omnia de regia nostra dabis, tres speciosiores mulieres Siculas ex captivis epicrocis, et muricatis auro, elatisque vestibus in deliciis, ancillasque tres, mundumque muliebrem cum polymitis versicoloribus. Dabis et subsericam coccineam vestem unam annuam, diploides villosas militares duas annuas, bardocucullum unum, ephestrides purpureas annuas tres, peplum roseum palmatum argento, pro Epiniis nostris annua palliastra: pro mancipiis decem interulas et paragaudas decem annuas, lineae telae

brachia centum annua ac cubitalia, cypella quatuor, annuos hordei modios quatuor millia, frumenti tria millia, generosi vini veteris sextarios totidem, olei selecti Hadranitici sextarios mille, cereos viginti quinque, tentoria duo, equos sex, mulosque decem, molossios canes bellicosos tres, vasa argentea decem, patinas totidem pondo sexaginta, scyphum, et cantharum, et phialas argenteas, auratas et gemmatas pondo XXXV, argenteos nostra cusos effigie quinque millia, aureosque totidem pro strenis. Hyloni aureus baltheus effigiatus, quadrigemmis annulus aureus, libralis torques gemmatus auferatur, eisque Camestrius decoretur, insignitusque sit inaurata capsula chirographata scite, duabus Herculeanis lanceis, oculcata lorica auro limbata, et subarmali serico murice purpurato. Dentur huic quoque villosa cuculla duo cum sago, chilamyde, et lato clavo. His superadiicies ad decorem pacis, et maiestatis, togam auro fimbriatam. Quae omnia si tantorum meritorum orbem non complent, nostra magnificentia feliciori omine ampliorem circulum intendit.

CATANENSES PLATONI.

LVI. Salvus hic iam inter nos versatur Dio, sub tua nostraque fide, et armis defensa, et animo custodita. Archontem eum creavimus: ea apud nos dignitas suprema est, ipso non inferior. Ille, quod a Dionysio non longe abest, omnia tuta timet, semperque vicinas sibi, immo ingruentes tyranni sibi insidias imaginatur, quas inter neque ipse secure dormis. Persuasio saepius, quam res ipsa nocet interdum, et necat: nos personam tueri novimus, securum reddere metum, non item.

CATANENSES PLATONI.

LVII. Crater Aetnaeus in vomitus suos erupit.

Veni, ut ea consideres, quae ceteris terrores ac stuporem inducunt, tibi vero ac nobis philosophandi materiam. Simulacrum Cereris nostrae, quod aliorum oculis vetitum est, tuis illis religiosis concedetur lustrandum.

PLATO CATANAEIS.

LVIII. Bene fecistis, Catanaei, quod Dionem a Dionysii furore salvastis, multo melius quod Archontem eum creastis: ea demum tutissima est respublica, in qua aut regunt Philosophi, aut rectores philosophantur. Optime facietis, si maioris securitatis gratia in locum remotiorem, aut tutiorem amandaveritis; quamquam quis homo aut quod asyllum a tyranni insidiis securum est? Plena multo maioribus periculis mihi regia ipsius est, quam Ulyssi antrum Cyclopeum: mihi perniciosior est amicitia ipsius, quod suspicax, quam quod infirma est. Quam primum potius ad mirandum veniam divinum in vos vestrum id, quod ab eo intra totum intus est, quam ad visenda Aetnaea miracula.

CATANENSES HIERONI REGI.

LIX. Argentum et aurum, quod e sudoribus atque lacrimis stillat, semper liquidum, salsum, et obscurum est.

HIERO REX CATANAEIS.

LX. Mea nihil refert, modo ab humido illo aurum, quod sitio, a salso salutem meam, ab obscuro splendorem.

SENATUS CATANAEUS THYMBRO DUCI,
PRASAGORAE FILIO.

LXI. In iuvene, qui factis maturis praecurrit, non exspectanda est aetas cana: virtus non consistit solum in barba promissa et albescente. Mirabere, quod ducem constituerimus magnae cuiusdam partis exercitus nostri iuvenem imberbem, contra tuam sententiam, et militare nostrum decretum: verum mirari desines, ubi in mentem tibi revocaveris egregia strenui iuvenis facinora, qui ter vicit Praefectos veteranos non armis solummodo, verum et consilio. Nos non nisi nomen eius praeclarum, personae ipsi conforme, spectavimus. Huic dabis praeter salarium triplum, quod tibi scripsimus honoris gratia, tres coronas valles, unam civicam, tria vexilla paria, quinque hastas puras, quatuor armillas aureas, aureum torquem unum, duarum cum semisse librarum, et pateram sacrificalem unam duodecim librarum. Haec merentur fortitudo ac virtus eius, maioris honoris instrumenta, quoniam iunioris huius Alcidae humeris grave onus reipublicae nostrae sustentatur: bis enim turbatis ac tantum non fuis bis mille et quadringentorum armatorum ordinibus, a ducentis sexaginta Syracusanis, de salute desperantibus, hic cum viginti novem nobilibus Catanacis victores illos profligavit, et vacillantes reipublicae honores restauravit. Disce itaque vincere, et ad exemplum generosae huius adolescentiae aetatem tuam virilem componere, quae probe armatorum numero, ac propriis viribus nimium confidit.

HYBRIS NAXIUS HERMOCRATI, HERMONIS
SYRACUSANI FILIO.

LXII. Nisi nos Siculi, habitu iam in naturam

verso, foveremus discordias, reipublicae nostrae semper, non dico in summa (quod Deus avertat) sed in adscendente rotae parte forent, maioribusque donis et expiationibus templum Catanaeae pariter ac Syracusanae Fortunae amplificare et condecorare potuissemus: sed discordiae, et sententiarum diversitas communem quietem turbant, et civitatibus nostris introducunt Penates ac Lares extraneos. Ambitio vestra, o Syracusani, et cupido regnandi, mater est insolentiae, et hacc bellum vobis domesticum et peregrinum parit. Exercitus vester, sub urbis nostrae moenia fusus ac caesus est ab armis Atheniensibus, et Catanaeis sociis, et patria vestra languet moribunda: quae si tibi cara esset, nunc tempus foret, ab interitu eam vindicandi, restituendo campum Symaethium, et urbem Megara, quae pacis tempore Catanensibus amicis furtim abstulistis, et occupastis, eiiciendo inde praesidium, et libertatem Leontinis in propria sede reparando; nisi malo vestro ipsorum Palladem victricem velit experiri et iram Hecates, ipsorum ultricis, denuo irritare. Si cessatis aliena restituere, ac Deas illas placare, nec Hecatombae vobis, nec Hecatonphoniae proderunt. Si desiderium vos tenet, aeternum statuendi Syracusis templum Pacis, et avertere Eumenedas Catanenses, tractate res pacis. Me (si vobis ita placet) rescripto vestro caduceatorem arcessite, ut Atticas et Catanenses olivas in muris vestris plantem.

HERMOCRATES SYRACUSANUS HYBRIDOLINX NAXIO.

LXIII. Falleris, Hybri, si credis, Syracusanos ob fortunae tempestatem despondere animos. Non ab hostibus victi sumus, sed a propria conturbatione fusi. Grave damnum nobis attulit ducum nostrorum multitudo, et imperatorum turba. Nam si pauci, ii-

que rerum bellicarum periti forent, tropaeum, quod in agro nostro Catanenses, ab Atheniensibus adiuti, plantarunt, aeternum statuissent Syracusani. Probe scit Sicilia universa, quem in modum alterum illud tropaeum in via Helorina erectum fuerit. Gloriosiorem certe centum sexaginta nostri in proelio occisi sepulturam nacti sunt, quam hostes victoriam. Si generosa Syracusanorum fortitudo decentem ordinem coniunctim habuisset, quae tandem vires Syracusis resistere poterant? Refer autem senatui Catanaeo, ac Niciae Atheniensium imperatori, me ducem electum a Syracusanis, adeoque imperium per me ipsum habere: tanto fastidio ab hostium perferendo imperio Patres patriae abhorrent, ut sibi Hermonis filium potius, cui id crederent, elegerint. Ardor pro libertate patria potestatem patriam retardat. Tu, qui caduceum Syracusanorum desideras, alterum tibi lituum compara fundandis muris alterius civitatis, aut sedis, Naxiis, Catanensibus, et Atheniensibus.

EUAGRIUS, MEGARENSIUM PRINCEPS,
TIMOLEONTI.

LXIV. In gloriae tuae communionem lubens concedo, verum non admodum victoria ac felicitate tua laetor; laetior atque securior futurus, si ea uti scires. Utere ergo pacis occasione: quo magis enim irritati aut victi fuerint Catanenses, eo maiori gravitate, ac terribiliori impetu resurgunt; tam facile apud eos vepres bellorum progerminant. Si solum Trinacrium purgare cupis, hi funditus eradicandi sunt. In captivitatem abduxisti ducem eorum profectae iam aetatis, at non eripuisti ipsis arbitrium eligendi alterum meliorem, aut similem, qui cum aliorum viribus, tum sua ipsorum Nemese adiuti, contra nos et te bellum parant. Mitto cum Zerinthio nostro palmam e smaragdinis, opus Poliadriae meae, ad statuam Feli-

DIOD. T. VI.

X

citatis Syracusanae: sed adornatam eam mallem unico ramusculo fertilium olivarum Catanensium, quas Minerva Catanae plantavit, quam multis palmis sublimibus, quae per Siciliam infocundae sunt, aut fructum austerum ferunt.

SENATUS POPULUSQUE CATANAEUS MAMERCO.

LXV. Gratias tibi non paucas agit Catanaea respublica, quod ab exercitibus et classe Syracusanis, nec non a coniuratis sese liberasti. Per te divites facti sumus praeda, gloria, aliisque rebus, quibus humana crescit felicitas. Recipe itaque pro hoc tempore in partem praemii, ob res a te tam praeclare gestas, hoc nequaquam exiguum decus, titulum Archontis, ac Tyranni Augusti, cum decem equis, septem sellis chalybeis, auro virgatis, tribus autem eburneis, hasta una aurea, argenteis vero duabus, tribu coronis vallaribus, duabusque muralibus, duabus civicis, et una navali, bilibri, aurea: et a rebus, non minori fortitudine in posterum gerendis, cum bonis avibus expecta triumphum, arcum, et statuas, prout libri fatales, et oracula nobis promittunt.

Dicta et facta veterum Catanensium notabilia.

Sollicitati Catanenses a civitatibus populisque foederatis, Syracusani nominis inimicis, ut stabilitam pacem, quam cum Syracusanis habebant, rumperent, et sese ob veteres quasdam offensas vindicarent, ac de nocte ipsorum urbem adorirentur, et per prodicionem occuparent, dum positis neglectisque armis interorgia Bacchi, solitaque apud ipsos celebrari festa Voracitatis, divinos honores ac templum primo ibi consecratae, crapula ac somno involuti iacerent, hoc responsum

dedere: Nos arma Syracusana vicimus, auro atque argento iisdem in captivitatem a nobis concesso: pacem autem, quam longo ipsi dubioque bello quam carissime a nobis emerunt, arbitrio fortunae nolumus remittere. Miserum sane victoriae genus, quod turpiter obtineas, ut semper in armis esse cogaris, metu, ne quando rebellent subiugati hostes; praeterquam quod iniusta atque impia res est, propriae libertatis tutricibus manibus diripere alienam.

Cum *Crocus Pollio*, Leontinorum dux, praecipiti, atque attonito valde calamo, senatum Catanensem per literas aliquando monuisset, ut parati ad arma essent, Dionysium enim infestum Catanensium inimicum, Syracusanorum regem salutatum ac proclamatum: senatores, nihil commoti rei novitate aut nuntio, contempta nimia Pollionis anxietate, Bono animo esse respondent, verum diceret, num et homo salutatus esset.

Post longa ac sanguinolenta bella superati tandem Catanenses, cum pertinaciae ac temeritatis insimularentur a Petronio et Publicio Caspio, exercitus Syracusani et Carthaginiensium ducibus, coram victore Hierone; quasi melius consulissent, si supplices cedere, neque armis tanto potenti regi resistere in animum induxissent suum, quando nimirum non fuissent caesi, occisi, ac victi; intrepide responderunt, praesente eodem rege: Vires ac fortuna Catanensium superatae sunt, at ipsi Catanenses a nemine unquam victi. Ad quae mox Hiero: Et quidnam amplius diceretis, si exstitissetis victores? Responderunt illi: Quod magnanimos, clementes, neque rebus prosperis superbientes, victores argueret.

Quodam tempore cum Syracusani gravibus infestarentur ac debilitarentur morbis, sive ab intempe-

rie aëris, quem vitae spiraculum nonnulli dicunt, sive a crapula, utpote qui primi templum aedificarunt Deae suae Voracitati, aliis civitatibus atque locis terrae, saeculis superioribus prorsus ignotae; sive ab Orgiis, quae frequenter celebrare solebant, sive ab alia causa; cognoscerent autem, Catanenses multa frui sanitate, neque medicorum ope indigere, idque peculiari cuidam artis medicae secreto, aut naturae beneficio, tribuendum sibi persuaderent: legatos ad Catanenses miserunt, qui in morborum, quibus affligebantur, curationem, Syracusas sibi mitti peterent medicos, qui Catanae otiosi degerent, neque quaestum suum ibi exercere possent; sin minus, edocerentur saltem, quibus medicinis Catanenses uti solerent ad morbos suos curandos, ac sanitatem conservandam? Quibus Catanaci subridentes, brevissima hac epistola responderunt:

CATANAEI SYRACUSANIS AEGROTANTIBUS S.

Conservatrix nostrae sanitatis est victus et coitus parsimonia, medicina nobis exercitium, medicus autem animus tranquillus. Valete.

Celebrantur Catanae, urbe Siciliae, Iudi Seculares, prae ceteris omnibus sollemnes. Ibi cum immodice, nec sine reliquorum circumfluentium contemptu, sese efferret Portunus, dux Erycinus, verum atque immerentem patrem negans, et insigni in matrem, castissimam atque honestissimam feminam, iniuria publice notum sese dictitans nescio cuius Dei Hadranii, Hadranitarum numinis; gloriaretur etiam, sese ceteris omnibus in stadio cursoribus velocitate palman facile praeripere, vel armatum immo onustum aenea immodici et iniqui ponderis armatura: responsum ipsi a Terpsindro, iuvene strenuo, Catanaeo: Plus currit cervus, ac portat mulus, quam vel multi simul

leones. Legitur hoc in egregio atque* artificioso te-
 rasticho, in *Volumine* quodam *Epigrammatum*
Graecorum, a variis auctoribus conscriptorum.

Scribit *Agatharchides* in parvulo quodam tracta-
 tu suo de Herbarum natura et virtutibus, ubi de Hel-
 leboro agit, cum Catanæi ducem sibi exercitus sui
 creassent Arthemium, valde brevî statura ac deformi
 facie hominem, sed multis ornatum virtutibus, stre-
 nuum inprimis, et rerum bellicarum usu exercitatis-
 simum; exprobratam ipsis vituperatamque hanc ele-
 ctionem, tamquam parum consultam, ac caeco impe-
 tu factam, ab Agathocle, ambitioso homine, qui ad
 illam dignitatem ac rerum moderationem ipse ad-
 spiraret, hoc signo, quod senatui Catanensium mani-
 pulum herbae Chelidoniae mitteret, nulla addita scri-
 ptura alia: at cui ex tempore statim nihil aliud et-
 iam responderunt, quam quod ipsi fasciculum Helle-
 bori remitterent.

In libro, qui *dicta sapientum*, *hominumque il-*
lustrum notabilia continet, legitur, Catanæos a
 Drauchillida regulo saepius interrogatos, quot soli
 stadia ipsorum ditioni subiecta essent? respondisse:
 Quot gladio mensi sumus.

Rogatus *Laërtiades* Catanaeus, poëta argutus ac
 facetissimus, sed haud parum mordax, a victorioso
 Hierone Syracusano, per viam belli iam regnum, sive
 tyrannidem in Catanam et Aetnam, adepto: Quæ-
 nam Catanæ inscriptio, quique ex arcibus triumphali-
 bus eiusdem urbis nobilissimi, ac maxime memora-
 tu digni essent? respondit absque ulla haesitatione:
 Symmithrii, Phitiphonis ac Phasanidis, quod hi tres
 tyrannidis Catanæae extinctores fuissent, uti in anti-
 qua inscriptione legitur. Quare Hiero, ira in Laërtiadem
 percitus, linguam ipsi iussit præcidi. At poëta, in-

trepido prorsus ad haec animo: Falleris, inquit, o rex; nam e lingua mea truncata mille aliae progerminabunt linguae non modo, sed et mille manus calamis armatae. Cautior itaque factus, et sibi providus, revocavit illam sententiam, et donis eum prosecutus est.

;
-
s,
is





